



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 5. Exponitur nostra Sententia circa objectum Increatum Divinæ
Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

conclusionis: præmissæ movere possunt ad conclusionem, quin conclusio attingat intrinsecè objectum præmissarum: ego etiam Veracitas divina potest movere ad assensum divinæ Fidei, quin actus Fidei habeat pro objecto formali Veracitatem divinam, sed solam Veritatem, aut solam Deitatem. Confirmatur 1. Post assensum fidei adhibitur mysterio revelato v. g. Trinitatis, elicit intellectus alios assensus circa idem mysterium, qui non habent pro motivo intrinsecò authoritatem DEI loquentis, sed sunt actus fidei; ergo non requiritur ad actus fidei authoritas DEI loquentis tanquam formale motivum intrinsecum. Confirmatur 2. A sola Dei veracitate provenit infallibilitas rei à Deo dictæ, tum etiam provenit à sola cognitione primæ veritatis; ergo utraque hæc perfectio sola est adæquatum objectum formale divinæ fidei.

132. Respondeo omitto antec. & neg. conseq. quia in sententia Auctorum docentium, non requiritur ad conclusionem, quòd attingat intrinsecè objectum materiale præmissarum pro formali suo motivo, satis est ad conclusionem, quòd procedat ex præmissis; ad eum modum, quo actus imperatus procedit ex imperante, qui amplectatur motivum imperantis: at hoc non sufficit ad fidem divinam, sive ad actum formalem fidei, licet ad conclusionem Theologicam, vel ad actum fidei objectivæ satis sit; ad actum quippe formalem fidei requiritur, quòd intellectus assentiat intrinsecè propter testimonium DEI dicentis, sive quia Deus dicit, uniendò immediatè potentiam cum Deo, quòd est formaliter, & intrinsecè attingere ipsum divinum testimonium; aliter actus ille non esset fidei formalis, sed objectivæ, ut diximus à num. 156. Hoc autem, ut infra videbimus, est etiam ingens discrimen inter actum forma-

lem fidei, & conclusionem Theologicam; nam conclusio Theologica satis est, quòd deducatur ex præmissis, non quidem unice assentiendò, quia Deus dicit, sed quia intellectus determinatur in præmissis ad assensum extremorum cum medio, manet exinde necessitatus ad assensum extremorum inter se; at actus formalis fidei non procedit eo modo, sed assentitur per simplicem, & intrinsecam adhesionem objecto, & quidem unice, quia Deus dicit, quòd fieri non potest, nisi simul assentiendò testimonio Dei dicentis, ut constat ex dictis, præsertim à num. 62. Exinde

Ad primam confirmationem conc. maj. & dist. min. sunt actus fidei formalis, neg. objectivæ, conc. min. & neg. conseq. quia, si illi actus non habent pro motivo intrinsecò auctoritatem DEI dicentis, non uniant immediatè potentias cum DEO, proindeque non sunt actus formales fidei, ut constat ex dictis à num. 51. & 156. Ad secundam confirmationem neg. ant. quia ad virtutem veracitatis divinæ solum pertinet conformare dictum cum mente; ita, ut DEUS testificari non possit res aliter, ac cognoscit, quòd est non posse mentiri; non autem est non posse falli: & ad perfectionem primæ veritatis in cognoscendò solum attingit cognoscere res, ut sunt in se, ita, ut Deus in cognoscendo falli non possit, quòd non est, non posse mentiri, & fallere; cum autem ad infallibilitatè testimonij dicentis satis non sit, quòd fallere non possit, nec satis, quòd falli non possit, sed indispensabiliter requiratur utraque ista perfectio, ut constat à num. 147. exinde nulla ex his perfectionibus seorsim sumpta est sufficiens, & adæquatum objectum formale divinæ fidei; cætera argumenta, quæ hic fieri possent, clariùs, & faciliùs dissolventur disputatione sequenti.

DISPUTATIO V.

EXPONITUR NOSTRA SENTENTIA CIRCA OBJECTUM INCREATUM DIVINÆ FIDEI.

134. Deus quidem cum sit prima veritas, cui inniti debet actus divinæ fidei, ut ex tota disp. præcedenti constat, cumque triplex distingui soleat veritas à Theologis, scilicet veritas in essendo, veritas in dicendo, & veritas in cognoscendo; oritur exinde controversia apud Theologos, an omnes istæ sint de constitutivo objecti formalis divinæ fidei. Veritas in essendo est transcendentalis omni prædicato divino; cum nihil aliud sit, quàm prædicatum verum, & reale contradistinctum à chymærico, atque adeò veritas DEI in essendo est Deitas vera, & realis contradistincta à chymærica; sic etiam sapientia Dei, omnipotentia Dei, & quæcumque alia prædicata divina, cum sint vera, & realia, atque à chymæricis contradistincta, habent veritatè in essendo. Sic etiam quodcumque præ-

dicatum creatū habet veritatè in essendo; ita, ut ipsa cognitio falsa, quia est vera cognitio, quamvis falso affirmans, revera habeat veritatem transcendentalem in essendo. Veritas prima in cognoscendo, dicitur illa virtus intellectus, quæ est summa sapientia, & ratione sui infallibiliter habet omnia cognoscere, ut sunt in se, ita, ut nullum errorem committere possit in cognoscendo. Veritas in dicendo est illa voluntatis virtus, quæ strictiori nomine appellatur veracitas, ratione cuius DEUS, quæcumque dicit, conformatur cum mente; ita, ut nunquam possit dictum cum mente disformare. Dixi disp. præcedenti objectum formale increatum divinæ fidei non esse puram veritatem in essendo contradistinctam à veracitate, & sapientia; neque solam veritatem in cognoscendo, aut so-

lam

Iam veritatem in cognoscendo, aut solam veritatem in dicendo. Querimus ergo in presenti, an sit utraque veritas simul veritas in cognoscendo, & dicendo, ita, ut neutra se habeat de connotato, aut præsuppositivè, sed utraque simul se habeat constitutivè.

SECTIO I.

Resolvitur controversia.

195. **S**uppono 1. controversiam non esse de objecto attributionis divinæ fidei: ut enim infra dicemus, malè confunditur objectum attributionis cum objecto formali divinæ fidei. Agimus ergo de objecto formali increato, atque indispensablem requirito ad actum formale fidei divinæ, ratione cuius credimus non solum ea, quæ cum DEO identificantur, sed etiam quæcunque alia à DEO revelata sunt; licet sint objecta creata. Diximus jam à num. 55. fidem Theologicam respicere aliquid divinum tamquam objectum formale quod. Cæterum, quia ad eum modum, quo homo includit animal, objectum formale quod includit etiam rationem, ob quam objecta materialia ab ipso distincta attinguntur; dici exinde solet respectu illorum objectum formale quo, sive ratio formalis sub qua; atque in hoc sensu exagitur à Theologis hæc præfens controversia de objecto formali fidei, ut notavit Eximius Doct. disp. 3. Nosque proinde aliorum sensui, & vestigijs in hærentes in hac etiam acceptione deinceps loquemur.

186. **S**uppono 2. præsentem controversiam non institui circa objectum formale creatum; de hoc enim infra agendum est, quando quæremus, an revelatio externa sit objectum formale motivum parziale divinæ fidei, vel an sit sola conditio, & applicatio. Interim supponimus cum omnibus Theologis, revelationem externam requiri ad objectum fidei divinæ, ejusque actum, cum non possit dari actus credens, quia Deus testificatur, quin detur Dei testimonium, sive externa revelatio. Exinde Verbum Dei infallibile dicit veritatem in cognoscendo, & dicendo, sive sapientiam, & veracitatem, & externam locutionem, sive ut conditionem, sive ut parziale motivum; ita, ut formalis infallibilitas Verbi Dei, sive externæ locutionis haberi nequaquam possit præscindendò à sapientia, sive prima veritate in cognoscendo, aut præscindendò à veritate, sive à prima veritate in dicendo, ut constat à num. 147. His positis

187. **A**ssero cum Eximio Doct. Cardinali de Lugo, utroque Hurtado, & communi Nostrorum: objectum formale increatum divinæ fidei constitutivè complectitur, & consurgit ex utraque prima veritate, scilicet in cognoscendo, & dicendo. Probat 1. efficaciter ex Sacra Scriptura: objectum formale divinæ fidei est testimonium Dei infallibile; cum enim actus divinæ fidei sit infallibilis, nequit nisi motivo fallibili, sed debet nisi infallibili;

atque testimonium Dei infallibile includit formaliter, & constitutivè utramque primam veritatem in cognoscendo, & dicendo; ergo objectum formale divinæ fidei constitutivè complectitur utramque primam veritatem in cognoscendo, & dicendo. Consequentia tenet, & min. constat à num. 148. maj. verò patet ex Scripturis adductis num. 63. aliisque adductis contra Scotum, & alios à num. 137. quæ ad testimonium Dei infallibile, majusque omni humano testimonio, reducunt motivum nostræ fidei, ut constat ex Joanne ibi dicente: *Si testimonium hominum accipitis, testimonium Dei majus est; sic etiam ad revelationem JESU Christi infallibilem reducit ipse Christus motivum fidei divinæ, & ad revelationem infallibilem Patris Math. 16. Quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est.*

Sic etiam Apollolus ad Galatas 4. *Notum enim vobis facio Evangelium, quod evangelizatum est à me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem JESU Christi, &c.* ad Corinthios 13. *An experimentum queritis ejus, qui in me loquitur Christus; in quæ verba Augustin. serm. 16. de verbis Domini: Christus in Evangelio, Christus in Apostolo; Christus ergo utrumque dixit, unum ore suo, alterum ore Praconis sui, quia, quando Praeco de tribunali aliquid dicit, non scribitur in gestis, Praeco dixit, sed ille dixisse scribitur, qui Praconi, quod diceret, imperavit.* Hujusmodi alia innumera sunt in Scripturis testimonia, ex quibus manifestè patet, fidem nostram non in aliquo testimonio humano, ratione, aut motivo creato fundari, sed unice nisi verbo, & testimonio Dei infallibili, atque in supremam Dei loquentis auctoritatem referri; unde & Christus ipse, in quantum homo non quidem ad se ipsum, sed ad Patrem revocat fidei nostræ fundamentum; ait enim Joannis 12. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.* Quibus verbis significat, motivum fidei nostræ non esse Humanitatem suam ut loquentem, sed DEUM ut loquentem, & revelantem mysteria per humanitatem tanquam instrumentum sibi conjunctum; ergo &c.

Respondebis ex Cajetano, Joanne à S. Thoma, plurimisque Thomistis, veritatem in cognoscendo non esse objectum formale nostræ fidei, sed illam in dicendo, connotatà de obliquo, vel præsupposita, ut conditione, veritate in cognoscendo. Contra tamen 1. Testimonium DEI eatenus movet formaliter ad nostram fidem, quatenus est omnino infallibile; sed hoc haberi non potest vel per solam veritatem in cognoscendo, vel per solam veritatem in dicendo, sed per utramque formaliter simul, & indivisim; ergo utraque formaliter simul ingreditur, & requiritur ad constituendum objectum formale nostræ fidei. Maj. est certum, cum enim fides nostra sit formaliter infallibilis, nisi debet motivo formaliter infallibili. min. verò

verò probatur; ut testimonium DEI sit omnino infallibile, non sufficit, quòd DEUS non possit falli in cognoscendo, sed insuper requiritur, quòd non possit fallere in dicendo; hinc enim DEUS per impossibile posset mentiri, etiam si nunquam falleretur in suo iudicio, posset per locutionem externam significare, se habere iudicium infallibile de exigentia objecti, quòd affirmat, & testificatur, quando tale iudicium non haberet; & tunc Dei testimonium esset fallax, & falsum, neque assensum fidei verificaret, sed credentes potius deciperet, & in errorem induceret; unde scientia divina seorsim à veracitate non potest esse adæquatum motivum nostræ fidei, cum se sola reddere non possit infallibile Dei testimonium.

190. Rursus, ut testimonium DEI sit infallibile, non sufficit, quòd Deus non possit fallere in dicendo; sed insuper requiritur, quòd non possit falli in cognoscendo. Ille enim, qui falli potest in cognoscendo, potest alios fallere, si non ex malitia, saltem ex ignorantia; & ita, si Deus esset capax erroris, aut deceptionis, possetque habere iudicium falsum de rebus, non esset dignus summa fide, eum aliqui testarentur; etenim ex vi solius veritatis in dicendo, solum habetur, Deum externè loqui, prout internè sentit, non verò rem dictam ita habere, ut ille testatur; quare audiens, Deum testificantem, mortuos resurrecturos, non esset certus de resurrectione futura, sed solum esset certus, quòd Deus ita apud se iudicaret; ergo, ut testimonium sit infallibile, formaliter requiritur utraque prima veritas in dicendo, & cognoscendo.

191. Contrà 2. Ille, qui habet revelationem Dei ex triplici solum capite retardari potest, quominus præbere possit assensum infallibilem rei revelatæ. Primò. Si Deus utraque veritate carens rem aliquam proponeret, quo in casu nullius esset momenti divinam testimonium, ut ex terminis patet. Secundò, si Deus esset, & proponeretur verus in cognoscendo, fallax tamen in dicendo, eò quòd ex defectu veracitatis posset testificari res aliter, ac ipse iudicaret de illis; atque in isto casu adhuc Dei testimonium non removeret omne dubium ab audiente, quia, licet non posset prudenter dubitare de infallibilitate Dei in cognoscendo rem testificatam, ut est in se, dubitare tamen posset prudenter de veracitate Dei in re testificanda, an scilicet conformaret dictum cum mente: siquidem non conciperetur Deus impotens ad mentiendum, & per consequens ad fallendum.

192. Tertio, si Deus esset, & proponeretur ut verax in dicendo, non tamen ut verus in cognoscendo; quo in casu audiens non fieret omnino certus de veritate rei in se, sed posset prudenter dubitare; licet enim omnimoda certitudine audienti constaret, Deum testificari rem illam, ut à se cognitam, non tamen constaret Deum cognoscere illam ut in se existentem; siquidem Dei te-

stimonium non apprehenderetur Dei, ut sapientis, sed ut veracis; veracitas quidem, & sapientia formaliter diversæ sunt in DEO, & in creatis separabiles sunt ad invicem absolute, & realiter, cum non repugnet rationalis creatura sapiens, & non verax, aut econtra. Unde illæ duæ formalitates sunt formaliter in DEO distinctæ; ita, ut una seorsim ab altera non habeatur testimonium Dei omnino infallibile, bene verò ab utraque formaliter simul sumpta; ergo utraque requiritur formaliter ad constituendum objectum formale divinæ fidei.

193. Probat 2. conclusio. DEUS, quæ verax, solum non potest revelare aliquid sua auctoritate credendum; ergo sola veracitas formaliter sumpta nequit dare revelationi omnimodam infallibilitatem, ac proinde ad hoc munus, quòd est præcipuum in motivo nostræ fidei, requiruntur formaliter sapientia, & veracitas. Probat 2. ant. Deus, nisi noscat objectum esse, sicut ipse revelat, nequit illud revelare sua auctoritate credendum; atqui Deus, quæ tantum verax, non cognoscit objectum esse, sicut ipse revelavit; hoc namque pertinet ad Deum, quæ sapientem, non quæ veracem; ergo quæ tantum verax, nequit revelare aliquid sua auctoritate credendum. Maj. patet: nam veracitas DEI non revelat aliquid extrà, nisi per decretum revelatum ex cognitione divina circa veritatem objecti revelandi; ergo, nisi Deus cognoscit objectum esse, sicut ipse revelat, nequit illud revelare sua auctoritate credendum. Confirmatur. Si quæretur à credente, quare credat, & respondeat, quia Deus dicit, qui nec falli, nec fallere potest, stultè ulterius quæreremus ab illo, ut fateatur Cajetanus, quare credis illi, qui nec falli, nec fallere potest? si autem responderet, quia Deus est verax, prudenter ulterius interrogaremus, cur credat, quamvis Deus sit verax, neque adæquatè responderet, quousque diceret, quia etiam est sapiens, & prima veritas in cognoscendo; ergo objectum formale divinæ fidei complectitur constitutivè hanc utramque veritatem.

194. Probat 3. paritate fidei humanæ: ille namque inter homines non est fide dignus, qui verax est, si tamen facile fallitur; & è converso fide dignus non est, qui, etsi non facile fallatur, facile autem mentitur. At fide dignus reverà est ille, qui & verax est, & nunquam dicit, nisi quæ verè cognoscit; ergo DEUS idè est dignus summa fide, quia summè sapiens, & summè verax est. Confirmatur 1. Eatenus testimonium divinum est objectum formale nostræ fidei, quatenus habet infallibilem connexionem cum re testificata: sed hanc infallibilem connexionem non habet à sola veracitate, neque à sola sapientia, bene verò ab hac utraque perfectione simul sumpta: objectum autem formale fidei nostræ ex hac utraque divina perfectione constitutivè consurgit.

195. Confirmatur 2. Fidei nostræ munus primum, & essenziale est, Deo credere, ut ex terminis

minis videtur notum, præsertim cum testimonium divinum determinet per convenientiam rem testificatam, ut constat à num. 55. Sic Genesis 15. dicitur; *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*; quod expendens Apostolus ad Romanos 4. ait; *Scriptum esse propter nos, quia fidem illam, & modum credendi imitari debemus, ut iustificemur*; & ita de se ipso 2. ad Timoth. 1. ait ipse Paulus; *Scio, cui credidi, & certus sum*; atque credere DEO idem est, atque moveri autoritate, & testimonio illius ad præstandum assensum rebus ab ipso dictis; etenim Deo credere, non est autoritate hominum, aut medio aliquo scientifico, aut ipsa rei creditæ veritate nos ductos assensum præbere, ut est perspicuum, sed potius est verbo, aut locutione divina moveri ad assensum; sicut credere alicui homini est propter ejus autoritatem assentiri rebus ab ipso dictis; atque hujusmodi motio non provenit formaliter à sola veracitate, vel sola sapientia, bene verò ab utraque simul; ergo utraque simul constituit formaliter objectum formale nostræ fidei. Ex dictis

196. Fit 1. utramque veritatem constituentem objectum formale increatum divinæ fidei esse primam in suo genere. Ratio est, ut sæpè habet Eximius Doctor, & Div. Thom. 2. 2. quæst. 17. art. 5. ad 2. in quacunque virtute Theologica formale objectum debet esse regula ipsius in suo ordine suprema, & non indigens aliâ regulâ; v. g. in charitate summa bonitas, in spe summa potentia, vel fidelitas, atque in fide summa veritas in cognoscendo, & dicendo. Exinde fit 2. non sufficere veracitatem in dicendo præsupposita, ut connotato, veracitate in cognoscendo, aut e contra. Ratio est, quia neque à sola veracitate, neque à sola sapientia habetur infallibilitas essentialis motivo fidei, ac proinde nulla ex his perfectionibus se sola est in ordine fidei prima, & suprema regula; bene verò utraque simul sumpta; ergo nulla ex his dici potest de connotato, sed utraque simul debet ingredi constitutum objecti formalis increati divinæ fidei.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

197. **O**bjicies 1. Illa perfectio DEI constituit adæquatè objectum formale increatum fidei, quæ ex proprio conceptu dicendi infallibiliter verum reddit Deum potentem dicere infallibiliter verum, & omnino incapacem dicendi falsum: sed hoc præstat sola veracitas Dei; ergo sola veracitas Dei est objectum adæquatum increatum divinæ fidei. Probatum min. Locutio ex duplici capite falsificari potest, primo, quia non est conformis cum judicio loquentis. Secundo, quia non est conformis cum objecto, ut est in se; atque à sola Dei veracitate provenit utraque conformitas; ergo &c. Probatum min. quoad primam partem, quia veracitas ex conceptu suo habet conformare dictum cum mente; quoad secundâ etiam partem proba-

tur; quia veracitas essentialiter postulat conformitatè locutionis cum mente, & cum objecto, ut est in se, est summè perfectior illa, quæ solum postulat conformitatè locutionis cum mente; ergo talis est veracitas Dei. Confirm. Ideò veracitas creata est valde imperfecta, quia solum intendit conformitatè locutionis cum mente; ergo veracitas divina, quæ summè perfecta esse debet, ex conceptu suo exiget conformitatè non solum cum mente, sed etiam cum objecto, ut est in se.

Respondeo conc. maj. & neg. min. ad probationem conc. maj. & neg. min. ad probationem concessâ prima parte, quæ docet, pertinere ad veracitatem, conformare dictum cum mente, dist. alteram partem antecedens, est summè perfectior formaliter in linea veracitatis, neg. est summè perfectior realiter per conjunctionem cum altera perfectione pertinentem ad lineam veritatis in cognoscendo, conc. ant. & neg. consequentiam. Ratio est, quia veracitas Dei sumpta formaliter, quæ veracitas, non debet titulò majoris perfectionis extrahi à linea perfectionis constitutive veracitatis; alter eodem titulo deberet esse veracitas ex proprio conceptu omnipotens, æterna, immensa &c. quod, ut ex terminis patet, esset confundere, & non distinguere formales perfectiones in Deo. Quare satis est, quòd intra lineam propriam summa gaudeat perfectione, conformandi mirum perfectissimè dictum cum mente.

Ad confirmationem neg. ant. nam discrimen inter veracitatem creatam, & divinam non stat in eo, quòd veracitas divina confirmatur formaliter ex perfectione ad lineam veracitatis non pertinente, sed stat in eo, quòd veracitati creatæ non conveniat conformare perfectissimè dictum cum mente includendò in sua linea omnem perfectionem, & excludendò omnem imperfectionem, atque eliciendò actum in ea linea ita Deo placentem, ut non possit magis placere; quod non convenit veracitati creatæ, utpote potenti elicere actus in sua linea magis, & minus perfectos, per quos scilicet subjectum maneat magis, vel minus unicum Deo. Ex hoc igitur capite distinguitur veracitas divina à creatâ per perfectionem attinentè ad lineam veracitatis; sicuti dici solet de animali perfecto v. g. homine, quod ab animali imperfecto v. g. talpa distinguitur in linea animalis non quidem per rationale, utpote formaliter continente virtutem extra lineam animalis, sed per rationem visivi, quæ est propria lineæ animalis, & non convenit animali imperfecto, v. g. talpæ; unde, quamvis divinæ veracitati, utpote realiter identificatæ cum sapientia, conveniat realiter conformare dictum cum re, ut est in se, non convenit illi formaliter, utpote formaliter distinctæ à sapientia; nisi dicere velis, connexionem cum ipsa sapientia, quam præfert divina, & non creata veracitas, pertinere formaliter ad lineam divinæ veracitatis; quod non renuam, & tota quæstio erit de voce, de qua non

non curo, dum veritas, quam intendimus, ab omnibus asseratur; sic decretum DEI efficax non connectitur cum re, ut est in se formaliter quā decretum, sed quā ita regulatur, quæ est alia formalitas consistens exigitive quidem in illo decreto, formaliter verò in sapientia, à qua regulatur.

200. **Objicies 2.** instandò simul solutionem. Veracitas DEI ex se ita exigit ad locutionem iudicium infallibile de objecto, ut est in se, ut, si per impossibile Deus iudicium haberet oppositum, & ipsa veracitas maneret, non posset loqui, propter oppositionem, quam haberet cum locutione difformi objecto, ut est in se; ergo se sola sufficiens est ad infallibilizandum formaliter dictum, ac proinde ad constituendum adæquatam objectum formale increatum divinæ fidei. Probatum antec. veracitas Dei est intrinsecè summè perfecta, atque impossibilis cum locutione falsa, utpote imperfectissima; ergo ex conceptu suo exigit ad locutionem iudicium infallibile de objecto, ut est in se, reddendò formaliter dictum conforme cum objecto, ut est in se. Confirmatur. Ideò veracitas creata non intendit formaliter conformitatem cum objecto, ut est in se, quia ad loquendum non exigit iudicium infallibile de objecto, & ex se coniungibilis est cum locutione falsa; ergo veracitas Dei ex titulo summè perfectæ non solum habebit formaliter, conformitatem dicti cum mente, sed etiam cum objecto, ut est in se.

201. **Respondeo neg. ant. in sensu explicato num. 179.** ad probat. dist. ant. quoad secundam partem, est impossibilis cum locutione falsa realiter ex identitate reali, cum omni imperfectione absque imperfectione in omni linea, conc. formaliter, quā veracitas, neg. antec. & consequentiam. Ratio est, quia DEI veracitas ad loquendum formaliter sumpta solum exigit conformare dictum cum iudicio illam regulante exigendò iudicium infallibile: cæterum, quòd iudicium DEI re ipsa infallibile sit, non stat formaliter in veracitate, sed in sapientia; ad eum modum, quo decretum divinum dealbandi parietem non reddit formaliter ratione sui parietem album, sed ratione albedinis, neque exigit albedinem ut formaliter ab ipso, sed ab omnipotentia procedentem, ut in simili diximus n. 179. etenim decretum illud non est formaliter virtus productiva albedinis, sed exigit formalem virtutem productivam. Pariter veracitas divina non est formaliter conformativa dicti cum objecto, ut est in se, licet exigit virtutem illam conformativam, scilicet primam veritatem in cognoscendo; unde veracitas non habet formaliter oppositionem cum locutione difformi objecto, ut est in se; hoc enim munus pertinet ad sapientiam; quapropter, quòd locutio non conformaretur cum objecto, ut est in se, non argueret imperfectionem in virtute veracitatis, si conformaret dictum cum mente, exigendò præsertim virtutem conformativam cum objecto, ut est

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

in se, sed argueret imperfectionem in sapientia regulante talem veracitatem, quæ quidem sapientia talis non esset, qualis ab illa veracitate exigeretur. Exinde ad confirmationem dist. antec. quia non exigit iudicium infallibile tanquam formalem perfectionem pertinentem ad veracitatem, neg. pertinentem ad primam veritatem in cognoscendo, conc. ant. & dist. eodem modo: sed quid inde contra nos? licet enim veracitas divina exigit veritatem in cognoscendo, quam non exigit veracitas creata, non ex eo attinet ad divinam veracitatem formaliter conformare dictum cum re, ut est in se; sed solum attinet exigere intellectum summè perfectum, qui non possit asserere rem aliter, ac est in se. Quare, licet exigitive, & remotè arguamus ex divina veracitate conformitatem cum objecto ut est in se, sicut ex decreto efficaci Dei dealbativo parietis arguimus parietem album; at ratio formalis attingendi objectum ut est in se, non competit divinæ veracitati, sed primæ veritati in cognoscendo.

202. **Objicies 3.** ex Ripalda: ex veracitate Dei restantis Trinitatem, cognoscitur esse in Deo iudicium de Trinitate, non utcumque, sed divinum, & infinitum, omniq; genere perfectum, quale solum est possibile in intellectu divino; sed hoc est iudicium infallibile; ergo ex veracitate cognoscitur iudicium infallibile, ac proinde veracitas satis est se sola ad objectum formale increatum divinæ fidei. Confirmatur 1. Veracitas divina, Deitas, & uno verbo quodcumque prædicatum divinum utpote impossibile cum quacumque imperfectione, non potest componi cum istis imperfectionibus, falli, aut fallere; ergo veracitas se sola sufficiens est ad dandam infallibilitatem rei dictæ.

203. **Confirmatur 2.** ex Aureolo. Ultima fidei resolutio fit in Deitatem; nam, si quæramus, cur credimus DEO, respondemus: quia est summa veritas, non potens falli, aut fallere; & si rursus quæramus, cur sit summa veritas, respondere debemus, quia est Deus, neque ulterius inquirenda est, aut reddenda ratio, cur Deus sit Deus; Deo quidem credimus, quatenus verax est, & verax est, quatenus Deus est; ergo credimus illi, quatenus Deus est; ac proinde Deitas est ratio formalis fidei. Hoc idem argumentum fieri potest de veracitate divina, de sapientia divina, & de quocumque divino prædicato secundum se spectato.

204. **Respondeo dist. maj. ex veracitate divina remotè, & radicaliter, seu realiter sumpta, ut identificata cum perfectione, sine imperfectione in omni linea, conc. formaliter sumpta pro perfectione præcisè spectante ad lineam veracitatis, neg. maj. & distincta pariter min. nego consequentiam.** Ratio est, quia ad veracitatem formaliter sumptam continentem perfectiorem præcisè spectantem ad lineam veracitatis, solum spectat conformare perfectissimè dictum cum mente; quòd autem iudicium illud mentis sit formaliter infallibile, non pertinet ad formalem rationem veracitatis, sed sapientiæ, solum-

solumque remotè, & exigitive pertinere potest ad veracitatem, ut constat ex num. 199. & 201. Sic ex decreto DEI dealbandi parietem, non arguimus parietem formaliter album, nisi propter formam albedinis, quam exigit illud decretum; tale autem decretum non est forma dealbativa, ut est per se notum.

205. Ad primam confirmationem dist. ant. non potest componi, si sumatur realiter ut identificatum cum omni perfectione absque imperfectione in omni linea, conc. si sumatur formaliter in sensu controversiæ pro perfectione præcisè spectante ad suam lineam, neg. ant. & consequ. nam sicut de linea veracitatis non est omnia posse; hoc quippe est de linea formali omnipotentia; ita non est de linea formali veracitatis conformare dictum cum re, ut est in se, sed conformare dictum cum mente; unde non est de conceptu suo formaliter excludere falli, & fallere, ut diximus num. superiori. Ad secundam confirmationem dist. ant. fit in Deitatem intra lineam fidei, neg. extra lineam fidei, quærendò radicem motivi fidei, & volendi credere, omitto ant. & neg. consequentiam.

206. Ratio est, quia dum quæritur, cur DEUS sit prima, & summa veritas, non quæritur ratio alia, & causa credendi primæ veritati; stulta quippe esset illa interrogatio, quare credis primæ veritati, quæ non potest fallere, aut falli? unde quæstio illa non spectat ad aliam causam assensûs fidei, sed ad aliam causam assensûs rei, sive ad causam volendi credere, ut fateretur ipse Cajetanus, contra quem differimus, ac proinde spectat ad motivum extra fidem, sive ad quærendam radicem remotam; in qua radiceretur motivum fidei, quod est prima veritas in cognoscendo, & dicendo; undecunque enim proveniat, quòd Deus sit prima veritas in cognoscendo, & dicendo, fat est, quòd ipsi credam infallibiliter, nam à tali prima veritate non potest falsum manare, neque testimonium potest manere formaliter infallibilizarum; unde quætere radicem hujus primæ veritatis, est quætere motivum extra fidem, non autem est, quætere motivum intra fidem necessarium ad credendum; hoc enim, atque ultima fidei resolutio intra lineam fidei existit in prima, & summa veritate, neque datur alia ulterior ratio credendi, quæ Deus dicit, licet ulterius postuletur, & detur ratio, cur Deus sit prima veritas.

207. Quare hoc, & similia argumenta, si benè expendantur, potius probant Deitatem essentialiter, & metaphysicè constitui ex sapientia, veracitate, aliisque omnibus prædicatis necessariis absolutis, ut diximus à num. 90. de Deo, quam probent ipsam ut contradistinctam à sapientia, & veracitate posse esse motivum formale fidei: sic hæc argumentatio fallax esset: corpus coloratum est objectum formale visûs, quatenus habet colorem; sed habet colorem, quatenus habet talem mixtionem primarum qualitarum; ergo est objectum formale visûs, quatenus habet talem mixtionem; hic enim

sylogismus, aliique similes constant quatuor terminis: nam in maj. reduplicatio illa quatenus habet colorem, est reduplicatio formalis, & significat colorem esse causam formalem visûs: at in minori reduplicatio illa habet colorem, quatenus habet talem mixtionem, non est reduplicatio formalis, sed causalis, quia non denotat rationem formalem, cur sic calor, sed radicem, à qua provenit color.

Quod idem contingit in hoc sylogismo: credimus DEO, quatenus verax est: sed est verax, quatenus DEUS est; ergo credimus DEO, quatenus Deus; nam etiam continet quatuor terminos; etenim in majori reduplicatio illa quatenus verax, est reduplicatio formalis, & significat veracitatem esse causam formalem, per quam Deus est objectum formale fidei, eaque assumitur, ut ratio formalis assentiendi Deo. At verò in minori reduplicatio illa, Deus est verax, quatenus Deus est, non est reduplicatio formalis, sed causalis, quia non denotat rationem formalem, cur Deus sit verax, sed denotat radicem, seu rationem principij virtualis, à quo manat veracitas, tanquam proprietas Deitatis; quare in his, & similibus sylogismis, utpote quatuor terminis constantibus, concessis præmissis neganda est consequentia.

Objicies 4. ex Ripalda, Aureoli sententiam promovente: Sacræ Litteræ, & Ecclesiæ Patres revocant fidem nostram in DEUM, nulla facta mentione attributorum, veracitatis, & sapientia; ergo Deus, quia Deus seorsum ab actibus tributis veracitatis, & sapientia, potest movere ad actum fidei. Confirmatur. Eo ipso, quòd Deus apprehendatur testari aliquid, apprehenditur illud esse verum, licet non apprehendatur ut verax, aut sapiens; atqui eo ipso, quòd Deus apprehendatur testari verum, potest Deo credi; ergo potest Deo, quia Deus credit seorsum à veracitate, & sapientia. Probat maj. sufficit apprehendi divinitatem ab omni attributo distinctam, ut ab ea immediatè, & ratione sui, removeatur omnis imperfectio tam physica, quam moralis; Deitas quippe se ipsa immediatè repugnat omni imperfecti; licet se ipsa immediatè exigit omnem perfectionem; atqui testari falsum est imperfectio dedecens divinitatem; ergo sufficit apprehendi divinitatem ab omni attributo distinctam, ut Deus apprehendatur non testari falsum, sed verum.

Respondeo 1. neg. ant. quia Deitas, quia Deitas constituitur essentialiter ex sapientia, & veracitate, ut dixi à n. 90. de Deo: ac proinde Scripturæ, & Patres nunquam loquuntur de Deitate, quæ tali præscindendò à sapientia, & veracitate. Cæterum permilla aliorum sententia docens, Deitatem esse radicem sapientia, & veracitatis. Respondeo 2. omisso antecedente neg. consequentiam; quia, licet Scripturæ, & Patres signatè non exprimat; at dum revocant fidem nostram in Deum, hoc ipso supponunt Deum esse essentialiter summè sapientem, & veracem, atque adeò summa fide dignum

gnum; unde nunquam sumunt Deitatem, ut præciam omnino à sapientia, & veracitate, sed ut exigentem saltem, vel includentem has perfectiones, quod exinde fit manifestum; nam si quis per errorem sibi persuadeat, DEUM non esse summè veracem, hoc ipso non apprehendit illum, ut summa fide dignum; quare non aliter apprehenditur fide dignus, nisi ut sapiens, & verus; exinde

211. Ad confirmationem neg. maj. ad probationem neg. etiam maj. nam eo ipso, quod apprehendatur testari aliquid, ideo apprehenditur illud esse verum, & non falsum, quia testantem apprehendimus summè sapientem, & veracem. Quare satis non est, apprehendere Divinitatem, darò, quòd virtualiter sit distincta ab attributis, ut à Divinitate ratione, sui removeatur formaliter imperfectio; ut enim à Divinitate removeatur formaliter imperfectio insipientiæ, decet concipi formaliter perfectio sapientiæ; ut removeatur imperfectio mendacij, debet concipi perfectio veracis, & sic de aliis; unde in ea suppositione essentia divina solum radicaliter excluderet omnem imperfectionem, non verò formaliter, atque adeò, ut concipiatur DEUS formaliter dignus summa fide, debet concipi, ut summè sapiens, & verax, nec satis est, quòd concipiatur non cognoscens aliter, ac est in se, nec dicens aliter, ac cognoscit, si hoc sumatur ut pura negatio: nam hoc convenit lapidibus non cognoscentibus aliter, ac sunt, nec dicentibus aliter, ac cognoscunt; sed debent sumi hæ perfectiones positivè, prout Deus dicit, ut cognoscit, & cognoscit, ut dicit; ita, ut non possit falli, aut fallere; quare, cum non posse falli, aut fallere, habeatur formaliter à virtute sapientiæ, & veracitatis, & actu non fallere, neque falli habeatur ab actu virtutis, exinde Theologi, utpote utramque hanc perfectionem considerantes in motivo formali increato actus divinæ fidei, eam utramque perfectionem divinam per modum formalis potentie, & actus assignant pro constitutivo objecti formalis divinæ fidei, & quidem jure merito; quia ea utraque perfectio debet esse stabilis, cum ad primam veritatem attineat, non solum actu non falli, aut non fallere, sed etiam neque posse fallere, aut falli.

212. Aliter arguit Ripalda, contendens, præter primam veritatem explicatam, alia etiam attributa, omnipotentiam præsertim, & fidelitatem esse objectum formale divinæ fidei; si distinguamus actus fidei innitentes auctoritati DEI promissoria, aut propositoria, ab actibus fidei innitentibus auctoritati DEI assertoria. Cæterum, ut argumentum, illiusque solutio facilius intelligatur, necesse est, terminorum explicationem præmittere. Triplex quippe distingui solet auctoritas in Deo. Prima dicitur assertoria, qua Deus asserit, hoc est verum, hoc est falsum, præcisè asserendò: altera dicitur promissoria, consistens in illa perfectione divina, sive uni-

ca, sive per aggregationem constituta, ex qua, quia omnino intallibilizatur locutionem promissoria, qua Deus aliquid promittit; movetur assensus fidei, quibus creduntur futura esse, quæ divinis promissionibus continentur. Altera est propositoria, quæ respicit constantiam divinæ voluntatis, & potentie ad persistendum in propositis; nam, si proponens laboret inconstantia, & impotentia, nullatenus adimplebuntur proposita; vide alia de his auctoritatibus num. 222. Contendit ergo Ripalda, actus fidei respicientes auctoritatem Dei promissoria, & propositoria non habere pro objecto formali motivo veracitatem, & sapientiam, sed fidelitatem, omnipotentiam, & constantiam. Ex quo

213. Objicies 5. Fides Abrahæ, quæ Theologica erat, & ob quam appellatus est Pater creditum, non quidem divinæ veracitati, sed divinis promissionibus nitebatur, juxta illud Apostoli ad Romanos 4. *In repromissione enim Dei non hæsitavit dissidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quacunque promissit, potens est & facere;* ergo à fidelitate promissionum Dei, & omnipotentie virtute motus, confortatusque fuit ad fidem. Pariter ad Hebræos 10. *Teneamus sper nostram confessionem indeclinabilem, id est fidem eorum, quæ speramus firmissimam, cujus rationem hanc reddit; Fidelis enim est, qui repromissit.* Similiter cap. 15. fidem Saræ ita explicat Apostolus, *Quoniam fidem credidit esse eam, qui repromiserat;* & demum Gabriel Angelus per omnipotentiam ad fidem movit Beatissimam Virginem Lucæ 1. proposita illa ratione, *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum;* ergo omnipotentia, & fidelitas Dei multoties sunt motiva, & objectum formale nostre fidei.

214. Quod attinet ad fidelitatem, valde probabile est, eam non distingui à perfectione veracitatis, sed in ista tanquam partem, aut quasi partem includi; est enim fidelitas veracitas in promissis servandis, atque adeò moveri fidelitate ad credendum, perinde erit, ac moveri veracitate, quæ certè expressa est mens Divi Thomæ 2. 2. quæst. 80. art. 1. ad 3. docentis, fidem, per quam sunt dicta, includi in veritate, quantum ad observantiam promissionum. Quare secundum eundem Div. Thomam 2. 2. q. 98. art. 1. in corp. non minus vera, & propria ratio perjurij, quæ sine falsitate esse non potest, reperitur, cum quis non servat, quæ juramento promittit, quam cum falsum aliquid affirmat; ita enim ait Div. Thomas: *& propter hoc à falsitate præcipue specificatur perversitas juramenti, quæ perjurium dicitur, & ideo falsitas est de ratione perjurij;* eandem doctrinam illustrat P. Valquez 1. par. disp. 85. num. 42. & Valentia Tom. 3. disp. 6. quæst. 7. punct. 3. atque juxta hanc doctrinam dici potest, fidelitatem sumi ab Apostolo pro veritate in dicendo, ideoque pertinere ad objectum formale fidei;

fic enim accipitur passim in aliis Scripturæ locis, veluti, quando in Psalmo dicitur, *Testimonium Domini fidele*, & Christus in Apocalypsi appellatur *Testis fidelis*; unde ibidem verba ejus dicuntur fidelissima, & vera. Cæterum, quia fidelitas juxta aliorum plurium doctrinam est virtus à veracitate distincta, si aliquam vim argumentum haberet, maximè esset in horum Doctorum sententia. Cæterum, ni fallor adhuc juxta hanc sententiam argumentum nullius est roboris. Quare permittendò, quòd fidelitas distinguatur à veracitate.

215. Respondeo neg. ant. & assumptum argumenti; nam in prædictis omnibus locis fidelitas, & omnipotentia Dei sumuntur ut res jam antecedenter creditæ, vel etiam ut naturaliter, & supernaturaliter notæ; atque ut sic moventes immediatè non quidem ad credendum, sed ad volendum credere, hoc est ad piam affectionem, sive affectum credendi; vel ad judicium de evidente credibilitate alterius mysterij; quòd sanè judicium de credibilitate præcedit ad fidem de mysterio; etenim omnipotentia divina sic credita, aut cognita juvare potest ad credendum aliquod aliud difficile mysterium, removendò, quòd poterat impedire applicationem divinæ revelationis, & affectum credendi, quo imperamus assensum fidei, innitendò unice auctoritati Dei dicentis; sic de facto scientia, quam habemus de divina omnipotentia, juvat nos ad credendum Mysterium Eucharistiæ; aliæque difficilissima; atque eo pacto fidelitas, & omnipotentia juverunt fidem Abrahamæ, Saræ, & aliorum.

216. Aliquando etiam omnipotentia credita per fidem juvat, & mover voluntatem ad opera difficilia faciendâ, & sic juvat Abrahamum ad sacrificandum suum filium; qua de causa dicitur fide omnipotentia confortatus, atque his, aliisque similibus modis juxta proprium Scripturæ sensum explicantur facile, & intelliguntur adducta testimonia, quin ex illis inferri valeat, dari aliquando motivum increatum fidei nostræ præter sapientiam, & veracitatem, quando quidem ad eliciendum actum fidei divinæ non sufficit quæcunque connexio cum re futura, sed sufficit connexio, quæ nobis innotescat formaliter ex testimonio dicentis, & hæc certè absque sapientia, & veracitate haberi non potest; ex quo facile dissolvitur alterum Ripaldæ argumentum, quòd jam subjungo.

217. Objicies 6. Assensus, quo quis suadetur, futurum esse, quòd Deus promissit, est fidei Theologicæ: sed non movetur ex veracitate, & sapientia, sed ex alijs DEI attributis, nimirum fidelitate, omnipotentia, & constantia; ergo &c. Probatum min. Si Deus summè fidelis, & potens promittit aliquid secluso quolibet alio attributo potest intellectus infallibiliter suaderi promissum futurum esse; ergo &c. Probatum ant. Ex fidelitate sibi suadet intellectus, DEUM non carere volitione efficaci circa promissum; atque ex omnipotentia sibi persuasum habet eam volitionem sortituram esse

se infallibiliter effectum; ergo ex utroque illo attributo manet intellectus persuasus infallibiliter de promissio.

Confirmatur 1. Ut intellectus assentiatur promissioni humanæ, sufficit, si homo promittens apprehendatur fidelis, & potens ad exequendam rem promissam; ergo, ut assentiatur promissioni divinæ, satis est, ut apprehendatur Deus fidelis, & potens ad exequendam rem promissam. Confirm. 2. Deus prius decernit efficaciter, quàm prævideat rem futuram; non enim res futura decernitur, quia prævidetur à Deo futura; sed econtra idè per scientiam visionis prævidetur à Deo futura quia ab ipso decernitur: scientia enim visionis fundatur in decreto, & non econtra; ac proinde decretum illud efficaciter promissorium, aut propositivum ex intrinsecis suis connectitur metaphysicè cum re promissa, & proposita; ergo sufficiens est, ut intellectus independenter à veracitate, & sapientia credat per fidem, quæ Deus promittit, & proponit.

Respondeo dist. maj. assensus, quo quis suadetur, si innitatur testimonio Dei dicentis, conc. si non innitatur, neg. maj. & distincta pariter minore, neg. consequentiam. Ad probationem dist. ant. si promittat internè, nobisque constet, conc. si internè non promittat, neg. ant. & consequentiam. Ad probat. dist. ant. quoad primam partem circa promissum, si internè promittat, nobisque constet, conc. si non promittat internè, neque constet nobis, neg. ant. & consequentiam. Ratio est, quia, qui non promittit internè, sive animò internò, non est verè infidelis; sed mendax. Casu, quo fidelitas, ut Adversarij supponunt, distincta à veracitate est; unde, ut ex fidelitate promissionis possumus arguere existentiam rei promissæ, opus est, ut promissio non sit tantum externa, sed interna, atque insuper requiritur, ut nobis constet de illa, ut oportet ad fidem per testimonium dicentis, ut id possumus per fidem credere; cum autem de animò DEI internè promittentis, nobis aliter constare non possit, ut oportet ad fidem, nisi per divinam revelationem affectam veracitate, qua Deus non potest nos fallere, & affectam sapientia, qua non potest falli; exinde non possumus per fidem assentiri rei promissæ, nisi habeamus pro motivo credendi divinam auctoritatem constitutam ex sapientia, & veracitate.

Ad primam confirmationem dist. ant. ut assentiamur per fidem humanam sufficit, quòd nobis constet aliunde, quàm ex dicentis testimonio, neg. sufficit, ut nobis constet ex testimonio dicentis, conc. ant. & dist. conseq. eodem modo; ratio est, quia, si aliunde constaret, quàm ex testimonio dicentis, licet possemus habere opinionem, vel si mavis scientiam de futuritione rei promissæ, non possemus habere fidem, quandoquidem hæc verè nititur testimonio dicentis, quòd ita à nobis concipi-

tur, ut neque fallat, neque fallatur; unde, ut per fidem credamus Deo promittenti, debet ita nobis proponi infallibilitas rei promissæ ex testimonio Dei dicentis, quæ quidem infallibilitas nobis proponi non potest, nisi per veritatem ipsius, & sapientiam, ut diximus num. superiori. Ad secundam confirmationem conc. ant. & dist. conseq. sufficiens est, si nobis constet infallibiliter ex testimonio Dei dicentis, conc. si nobis constet ex aliis motivis, neg. conseq. Itaque decretum Dei efficax circa futura ex intrinsecis suis immediatè saltem connectitur cum re futura, cum supponat cognitionem de eo, quod ea res dabitur, si DEO efficaciter illam velit; at nobis constare non potest, ut requiritur ad fidem, quod Deus ex animo efficaciter decreverit, nisi ex infallibili ipsius testimonio, cujus infallibilitas formaliter haberi non potest, ut sæpè diximus, nisi à sapientia præsupposita ad veritatem, atque ab ipsa etiam veritate.

221. Quapropter, si ex aliis fundamentis illud deduceremus, jam non per fidem, sed per discursum assentiremur, vel si Deus elevarer nos ad decreti, sapientiæ, & testimonij sui intuitivonem, rem quidem futuram assereremus non per fidem, sed per visionem ipsius Dei in decreto, vel in autoritate dicentis; unde, ut assentiamur per fidem, necesse est, quod nitamur infallibili Dei testimonio, ratione cujus objecto assentimur, ideòque testimonium humanum, quod intuitivè cognoscimus, quando Petrus v. g. aliquid nobis credendum proponit, non creditur, nisi ut affectum scientiæ, & veracitate Petri, modò, quo intuitivè non apparet ejus testimonium, ut infra dicemus, quando agemus de evidentiâ in attestante; fides enim quantumvis non excludat claritatem scientiæ abstractivæ; at excludit claritatem intuitionis, cui in Sacris Litteris contraponitur. Sic 1. Corinth. 13. *Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est &c. videmus nunc per speculum in enigmate; tunc autem facie ad faciem;* unde, si per impossibile supponatur hypothesis, in qua possemus credere fide divina rem à DEO dictam propter Dei autoritatem intuitivè visam, eo in casu, licet talis actus haberet pro objecto formali quod divinum testimonium, non denominaretur fides respectu testimonij divini, sed respectu objecti obscurè crediti; sicut actus, qui attingit unum objectum clarè, & alterum confusè, denominatur clarus respectu unius, & confusus respectu alterius; sic etiam actus contritionis attingens Deum, & peccatum, denominatur odium, & aversio respectu peccati, & amor, atque conversio respectu DEI.

222. Exinde autoritas assertoria, quæ ad objecta creata, & increata, possibilia, præterita, præsentia, & futura se extendit; autoritas promissoria, & propositoria, quæ se extendunt ad objecta creata tantum futura, de quibus diximus num. 212, non sunt autorita-

tes omnino inter se distinctæ; nam assertoria, & propositoria sunt species quædam assertionis ut sic, cum omnes asserant, etsi modò materialiter diversò, ut oportet ad fidem, non verò diversò formaliter. Cæterum non possunt aliter ad fidem movere, nisi quatenus reducuntur ad autoritatem assertoriam, cum non possint movere ad fidem, nisi prout assentimur vera esse, quæ dicuntur innitendò testimonio dicentis; si enim hoc apud Adversarios certum est in humanis, quomodo non erit certum in fide divina, cujus motivum à Sacris Scripturis sæpè reperitum est infallibile DEI testimonium? aut quomodo, ut oportet ad fidem, potest nobis constare infallibiliter Deum internè promittere, nisi ex infallibili Dei revelatione, aut quomodo nobis constabit verum esse, quod Deus revelat; nisi quia revelat ille, qui nec fallitur, nec fallere potest? hæc omnia saltem necessaria sunt, ut assentiamur per fidem, nec possumus habere recursum ad aliud fundamentum intra fidem; unde motivum formale increatum nostræ fidei unicè reducendum est ad divinam sapientiam, & veritatem, de quo jam diximus num. 211.

223. Objicies 7. Prima veritas revelans saltem movere non potest ad omnes veritates fidei credendas; ergo non est adæquatum objectum formale increatum divinæ fidei. Probatum antequam nequit movere ad credendam ipsam primam veritatem, quam tamen de fide credimus; absurdè enim crederemus alicui dicenti se esse summè sapientem, & veracem, quia ipse dicit, nisi id aliunde nobis constaret; ergo ad credendum per fidem summam sapientiam, & veritatem Dei, aliud assignandum est motivum distinctum ab ipsa sapientia, & veritate; proinde sapientia, & veracitas, sive prima veritas ex ea utraque perfectione constituta, satis non est ad credenda omnia, quæ fide divina credimus. Resp. neg. ant. ad probat. dist. ant. nequit movere, si nullatenus aliunde præsupponatur nota, aut approximata, conc. si aliunde sufficienter præsupponatur nota, & approximata, neg. ant. & consequentiam.

224. Explico distinctionem, quando elicimus actum divinæ fidei, duo valde distincta motiva concurrunt juxta duas valde diversas potentias, & actus, intellectus nimirum, & voluntatis, quos exercemus: elicimus enim actum piæ affectionis, quo volumus credere, & imperamus intellectui assensum fidei; motivum autem hujus actus piæ affectionis non est motivum credendi, sed volendi credere; tale quippe motivum consistit in rationibus suadentibus existentiam infallibilis testimonij dicentis, per quas rationes, quæ motivum sunt volendi credere, manet nobis sufficienter approximatum, & apparet verum testimonium dicentis; hoc autem motivo piæ affectionis præviæ intellectus jam ex imperio voluntatis non innititur illis rationibus, dum credit per fidem divinam; sed illis rationibus relictis, unicè assentitur propter infallibile

bile testimonium DEI dicentis, quod, cum sufficienter approximatum sit, manet jam determinatum, & non neutrum.

225. Quod certè exemplis quàm plurimis perspicuum sit, & quod mirum est, exemplis, quibus in alijs rebus Adversarij utuntur. Dum enim aliquis homo doctus librum aliquem legit in Bibliotheca, Authorem ignorans, & quærit à Bibliothecario veraci, Authorumque perito, quisnam sit illius libri Author, dum scit, Authorem esse Augustinum, multò magis firmiter adhæret, quàm antea doctrinæ, quàm ibi legit; nec nititur Bibliothecarij autoritate ad credendum vera esse, quæ legit, sed autoritate Augustini, autoritas quippe Bibliothecarij utpote deserviens ad applicandum Augustini autoritatem, motivum est ad volendum credere, non autem ad credendum; Augustini autem autoritas est motivum ad credendum.

226. Ad eum ergo modum naturalis scientiæ, quam habemus de divinis perfectionibus, sapientiæ, & veracitatis, atque motiva credibilitatis cum illustrationibus supernis, quibus nobis proponuntur divina testimonia, sunt motivum ad volendum credere; quando autem per fidem reverà credimus, non nitimur jam illis inferioribus motivis naturalibus, sed illis relictis, assentimur unicè tum mysterio revelato propter autoritatem Dei dicentis, tum sapientiæ, veracitati, & revelationi propter ipsas, quæ sunt motivum firmissimum, & excellentius, quàm rationes illæ præviæ, quæ movebant ad assensum, sive ad voluntatem credendi, aut ad volendum credere; quod, ut suprâ jam notavi, evidens mihi apparet post Innocentium XI. inter sexagintaquinque propositiones damnantem decimamnonam, quæ sic habebat: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*; unde non quidem stultè, sed prudentissimè per fidem assentimur sapientiæ, veracitati, & revelationi divinæ propter ipsas, atque propter hanc divinam autoritatem mysterio per actum fidei.

227. Objicies 8. Non possumus fide divina credere, nisi quod est dictum à DEO; atqui autoritas divina constituta ex sapientia, veracitate, & externa revelatione, non est semper dicta à Deo; sæpè enim revelat Deus mysterium, quin revelet se infallibilem esse in revelando, ac proinde, quin dicat, aut revelet suam autoritatem; ergo non possumus per omnem actum divinæ fidei credere divinam autoritatem quantumvis nobis obscure propositam. Confirmatur. Non videtur fieri posse, ut autoritati Dei revelanti, quæ in se obscura est, propter ipsam assentiamur per fidem; ergo sæpè assentimur mysterio propter revelationem, quin per eundem actum fidei formalis assentiamur autoritati Dei revelanti propter ipsam. Respond. dist. maj. nisi quod dictum est à DEO signatè, & exercitè, conc. solum signatè, neg. maj. & distincta pariter min. neg. con-

sequentiam. Ad confirmationem dist. antec. non videtur fieri posse, si autoritas Dei revelans non applicetur nobis aliunde sufficienter, conc. si applicetur, neg. ant. & conseq. ut constat ex num. superiori.

Itaque dupliciter intelligi potest res aliqua esse à DEO dicta, ut constat ex num. 62. Primò signatè, quando scilicet directè dicitur, v. g. cum DEUS dicit, meum testimonium verum est, Incarnatio vera est. Secundo exercitè, quando scilicet res directè dicta, infallibilitatem quoad nos accipit per convenientiam à testimonio dicente; ita, ut si negatio rei sit vera, testimonium negationis debeat esse quoad nos verum, etsi vera sit affirmatio, testimonium affirmans debeat eo ipso quoad nos ut verum proponi, quo in casu idem proflus est testimonium illud dicere *signatè*, ac esse dictum *exercitè*; cum autem res sive *signatè*, sive *exercitè* à Deo dicta sit reverà obiectum divinæ fidei; exinde autoritas illa divina dicens, & obscure propheta, quæ, ut ex dictis satis conitat, non potest non esse dicta vel signatè, vel exercitè, non potest non esse obiectum actûs divinæ fidei; quare per ipsam actum fidei formalis, per quem assentimur mysterio à Deo dicto propter autoritatem dicentis, assentimur etiam autoritati DEI propter ipsam.

Objicies 9. Prima veritas revelans non potest in obiecto revelato distincto ab autoritate revelante apponere aliqui intrinsecum, sed tantum confert denominationem extrinsecam; atqui obiectum formale debet esse aliquid reale, & intrinsecum obiecto materiali; ergo prima veritas revelans non potest esse obiectum formale divinæ fidei. Confirmatur. Esse revelatum utpote nihil reale ponens in rebus ab autoritate revelantis distinctis est ens rationis; atqui ens rationis non potest esse specificativum, & obiectum formale habitûs realis, qualis est habitus divinæ fidei; ergo esse à Deo revelatum, nequit esse obiectum formale divinæ fidei, proindeque autoritas revelans non est sufficiens ad movendam divinam fidem. Respond. conc. maj. & neg. min. quando enim obiectum materiale realiter distinguitur à formali, non ponitur in ipso aliquid intrinsecum, sed pura denominatio extrinseca ab obiecto formali proveniens; sic, quando animo proximum propter bonitatem divinam, bonitas divina non est intrinseca proximo; unde solum invenitur ratio intrinseca assentiendi in obiecto materiali, quando illi propter ipsum assentimur, sive quando identificatur cum formali.

Ad confirmationem neg. maj. nam esse revelatum non est ens rationis, sed reale; est enim vera, & realis denominatio, licet extrinseca rei revelatæ: denominatio autem extrinseca, & realis specificare potest habitum realem. Formæ quippe extrinsece dominantes magnum vim habent respectu humorum actuum ad movendum intellectum ad assensum, vel voluntatem

luntatem ad affectum, ut patet in humana fide, per quam credimus aliquid, quia est dictum ab altero, licet esse ab altero dictum, sit denominatio realis extrinseca, & quando quis movetur ad redamandum, quia amatur ab altero, quamvis esse ab altero amatum sit realis denominatio extrinseca; sic movemur ad sumendam medicinam, quia hic, & nunc ab hac ægritudine

denominatur utilis ad salutem, quæ utilis non esset, si ægritudo non extaret, quamvis ea denominatio utilitatis, quam ab ægritudine accipit, sit realis extrinseca, quod commune est omnibus objectis materialibus realiter distinctis à formalibus: hæc autem, & alia plura, quæ hic possent superaddi, facilius intelligentur ex sequentibus.

DISPUTATIO VI.

AN REVELATIO DEI EXTRINSECA SIT PARTIALE MOTIVUM DIVINÆ FIDEI?

231. **P**ostquam egimus de objecto formali increato divinæ fidei, superest, ut agamus jam de creato; est enim apud Theologos non modica controversia, an scilicet externa DEI locutio, & revelatio sit partiale motivum formale divinæ fidei, vel an sit pura conditio, & applicatio sapientiæ, & veracitatis divinæ ad objectum revelatum; revelatio enim divina est DEI locutio, & manifestatio divini conceptus. Sic Div. Thomas 1. part. quæst. 107. art. 1. in corp. de revelatione, aut locutione, ait: *Nihil est enim aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifestare.* Quare divina revelatio distinguitur realiter à sapientia, & veracitate divina: nam sapientia saltem primario est manifestatio objecti, quod per eam representatur ipsi sapienti, & non alteri: ac externa locutio est manifestatio conceptus ad alterum; neque enim agimus de locutione illa purè mentali, qua aliquis dicitur sibi loqui, dum se convertit ad actu considerandum, quod habet in habitu, & intra se format conceptum rei, qui verbum mentis appellatur, sed agimus de locutione propriè dicta, qua unus alteri loquitur, quamque Div. Thom. supra cit. definit: unde locutio Dei addit aliquid contingens extrinsecum supra sapientiam, & veracitatem. Cæterum, quia resolvi controversia ista non potest, quin statuamus, quid sit istud extrinsecum, hanc difficultatem prius resolvemus.

SECTIO I.

Quid sit propriè revelatio, aut locutio Dei?

232. **P**rima sententia, quam tenent Cajetanus in præsentia quæst. 1. art. 1. & communiter alij Thomistæ, quos sequitur Gonet disp. 1. de objecto fid. art. 1. defendit, divinam locutionem, de qua agimus, non esse aliquid extrinsecum, sed intrinsecum, & divinum, illudque vocant activam revelationem, consistentem, ut ajunt, in actione DEI immanente, qua DEUS determinatur, ad efficiendam revelationem creatam; hanc sententiam amplectitur quoque Esparza quæst. 15. de fide art. 2. eam R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

que explicat per hæc verba. [Pro cuius rei majori claritate norandum est cum Cajetano, dum dicitur communiter, primam veritatem revelantem esse motivum fidei; primò revelantem accipi de revelatione activa existenti ab æterno, ac proinde intrinseca DEO, quia per hanc primario, & præcipuè DEUS constituitur in ratione revelantis, atque per eandem habet totam sui determinationem ad revelandum nobis in tempore, seu ad ponendam revelationem externam, & passivam in tempore, atque ad manifestandum nobis mediante illa objectum, de quo est revelatio, suumque conceptum circa illud: unde eadem revelatio activa, & interna est, quæ nos movet, & determinat ad credendum; quod enim determinat loquentem ad dicendum verum, determinat etiam per se audientem ad credendum illud esse verum.] Hucusque Esparza. Secunda verò sententia, quam tenent Eximius Doctor, Valenzia, & communiter nostri Doctores, docet, locutionem Dei propriè dictam non esse aliquid divinum, & æternum, sed esse ipsum sermonem Dei externum, sive ore Prophetarum, atque Sanctorum formatum, sive manu scriptum, quod mihi omnino certum apparet. Quare

233. **A**ssero cum secunda sententia: revelatio, seu locutio DEI propriè sumpta non est actus Dei immanens, sed est aliqua manifestatio creata divini conceptus. Probat 1. Imperceptibile est, quid sit illa activa revelatio Dei immanens, nisi volitio divina loquendi, & manifestandi nobis conceptum suum in tempore, ut ipsi quoque Adversarij fatentur; atqui talis volitio non est propriè locutio, proindeque hoc munus tribui duntaxat potest manifestationi creatæ divini conceptus; ergo &c. Probat 2. voluntas loquendi non potest dici magis propriè locutio, quam voluntas comedendi vocatur propriè comestio, aut voluntas divina nos sanctificandi, dicatur ipsa sanctificatio, & justificatio nostra formalis; atqui voluntas comedendi non est comestio, neque voluntas divina nos sanctificandi est nostra formalis sanctificatio; ergo rigorosè loquendò illa, quam vocant revelationem activam, non est propriè revelatio, aut locutio divina, ac proinde neque